Cim
6201-
6203

PHILOSOPHIA LVTHERANORVM ET OMNIVM HVIVS TEMPORIS HÆRETICORVM, AB IMPIETATE ILLIVS DIABOLICA ET VERSIpelli promanantium, ad gloriam Dei & Ecclesiæ ipsius defensam olim edita, nunc necessariò repetita.

Contra hæresiarchas & hæreticos, atque sectatores vtrorumque, Catholicos simplices in damnationem æternam scelerate abducentes.

CRACOVIÆ,
In Officina Andreę Petricouień.
M. D. L X X X V I I I.

Cum hæretico congressuris pia meditatio.

Augustin. in sermone super gestis cum Emerito Donatist. Episcopo.

O Christe, qui es pax nostra; qui fecisti vtraque vnum, fac nos vnum, vt rectè cantemus, Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Introduc concordiam, pelle discordiam, introduc teipsum, in titulos tuos. Tu mane, non alter poßideat, & de tuis titulus fallat. Tu muta istum contradictorem, qui vna hora in cruce mutasti latronem.

Max: in Dialogo contra Nest.

Resistendum, nec omnino parcendum hæreticis, confidentes in tali negotio, sermonis copiam nunquam defuturam. Nam si Deus, ad confutandam Prophetæ insipientiam, os asinæ aperuit, quantò magis cor fidelis, reserare dignabitur, vt perfidorum dementia confutetur.

M. MARTINVS PILSNENSIS, SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOR, ET IN VNIVERSITATE CRACOVIEN. PROFESSOR, ECCLESIÆ CATHEDRALIS

Canonicus, Christiano, Catholico, candido Lectori, Dei Opt. Max. gratiam, salutem, pacem & prosperitatem diuturnam.

NEMINI CHristifidelium dubium esse arbitror, Lector in Christo charisſime, quia Spiritu ſancto inſpirante SS^mus^ Pontifex SIXTVS Diuina prouidentia Papa quintus, & ouilis Christi vigilantiſsimus Paſtor, atq; periculorum ipſi impendentium ſolicitiſsimus indagator, calamitatibus ex hæreſum multiplicatione profectis, Eccleſiam vnam, ſanctam, Catholicam, Apoſtolicam, & Regna Dominiaq; ipſius hoſtiliter oppugnantibus, IVBILEO in forma ampliſsima & largitionibus liberaliſsimis, per vniuerſum orbem non ita pridem tranſmiſſo, prudentiſsimè occurſum eſſe voluit. Quo theſauros ſanctæ matris noſtræ Eccleſiæ Catholicæ, per IESVM CHRISTVM in amariſsima, ſed precioſiſsima paſsione, nedũ ad vnũ, ſed infinitos etiam mundos, ſi exſtarent, redimendos ſufficientiſsimè ſupereroga-

pererogatos aperuit. Et immortalium meritorum, innumerabilium Sanctorum ipsius passionem imitantium, crucemq; eius vt salutarem, ita desideratissimam in ædificationem corporis Christi vsque ad cōsummationem multipliciter portantium, abundantiam copiosissimam, & ante thronum DEI odoramentis fragrantissimam, in medium Christianorum promulgauit. Eo instituto salubri & consilio salutari, vt omnia & singula delicta, peccata, scelera, quantumuis conscientiam prementia, & corda aggrauantia, ex eisdem Ecclesiæ thesauris, misericordi & miseratori Domino semper gratissimis redempta, dispareant & euanescant. Præparatione per ieiunia, orationes, eleæmosinas, afflictiones, per debitam peccatorum confessionem, & deuotam Sacrosanctę Eucharistię communionem, diligenter præmissa. Vtq; facti iam immaculati, à Deo Opt. Max. obtineant Ecclesiæ sanctæ Catholicæ pacem & tranquillitatem, Regibus & Principibus Christianis concordiam, hæreticis autem ex indomita proteruia resipiscentiam, & cum Ecclesia Catholica, vera sponsa Iesv Christi, reconciliationem. Quoniam ea neglecta vel contempta, certò & breui expectare debent sui eradicationem ipsis damnabilem. Dum verò SS^mus D. N. Pontifex, Pastor, Pater, preciosissimos Ecclesiæ sanctæ thesau-

ctæ thesauros protulit, ego quoque sacerdos, ouis, filius eiusdem, si aperiam & in publicum proferam non thesauros preciosissimos, sed malesanæ prauitatis hæreticæ, militantis Antichristo, contra Christum, & hosce thesauros, astutias, fraudes, dolos, saluti hominum perniciosissimos, ad eandem solicitudinem ipsius prudentissimam, pro Christo contra Antichristum, pro Catholicis contra hæreticos, pro veritate contra mendacium, operæprecium me facturum existimo. Vt Catholici istis omnibus diligenter consideratis, & prudenter examinatis, animaduertant, quàm gnauiter Ecclesiæ Catholicæ adhęrere, & ab hæreticis cauere, ipsosq; semper & vbique oppugnare & expugnare debeant. Cuius quidem operis attentandi, præstitit mihi occasionem, suo libello subsequēti PROFESSIONIS CATHOLICAE, M. Sebastianus Flaschius Mansfeldensis, olim pertinax Lutheranus, postea zelosus Catholicus, decem annis abhinc impresso, at per hæreticos, ne impia secreta eorum in vulgum spargat, supresso. Quapropter mihi æquum visum est, vt quò studiosiùs editio eiusdem ab illis occultata & abscondita, eò magis emineat & appareat. Quem quidem libellum, ab hæreticorum sectatore mordaci, sed ad Catholicismum, Diuina clementia, satis iam disposito, ideoq; hæresum omnium dete-

nium deteſtatore aſsiduo, dono accepi, & denuo imprimendum curaui: non tantum chartis hiſce, ſed cordibus quoque & conſcientiis hominum. Donandi cauſa fuit, ſtudium & deſiderium mecum colloquendi de rebus Catholicis, & modo redeundi ad Catholiciſmum. Deſiderium verò Catholiciſmi in ipſo permouit Illuſtriſs. & Reuerendiſs. ANNIBALIS de Capua, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopi Neapolitani, eiuſdem Sedis Apoſtolicæ ad Sereniſsimum SIGISMVNDVM III. vt Chriſtianiſs. ita Catholiciſs. vtinam & tranquilliſs. ſemper, Regem POLONIAE, & Dominia ipſius NVNCII oratio docta, grauis, pia, acuta, prudens, diſerta, in Conuentu generali Warſſauieñ frequentiſsimo omnium Ordinum Regni, & Electorum Regis POLONIAE publicè habita. Quæ ſanè cuiuſnam eſſet NVNCIVS, ſimile enim ſimili gaudet, abundè declarauit: & collata, miniſtrorum Antichriſti hæreticis orationibus, fabulas eaſdem eſſe & deliramenta, hominibus bonæ exiſtimationis neutiquam competentia, agnouit & ſpreuit. Neque probrò ſibi fore duxit, ſi ipſiſmet fabuloſis ineptiis & deliramentis furioſis, damnationem infernalem inducentibus, vale perpetuum dicere quàmprimum, & citra omnem cunctationem paratus eſſet. Verùm iam ipſummet authorem libelli &

belli & PROFESSIONIS CATHOLICAE buccinatorem M. Sebaſtianum Flaſchium, mihi, vt prædixi, dono datum, intentione bona, corde feruido, in ſpiritu manſuetudinis, mente Catholica, legendum & diligenter expendendum, candide Lector, pro ſalute animæ, ſi es Catholicus, retinenda, ſi hæreticus, eadem recuperanda, aggredere. Interim bene & diu in CHRISTO IESV viue & vale: nec indignè feras prolixam eſſe epiſtolam, quoniam ſubſequentis operis moles intus exiſtens eam parturiit. Ex Collegio Maiorum Profeſſorum Vniuerſitatis Cracouienſis, die x. menſis Iunii. Anno Dñi, M. D. LXXX VIII.

AD LECTOREM.

Nulla bonis vnquam maiori creditur esse
Res curæ, quàm hominum, ritè paranda, salus.
Qui vel declarant summi decreta Tonantis;
Veræ monstrantes relligionis iter.
Acriter intrepidi vel dogmata falsa refellunt,
Siue pio vocis munere, siue stylo.
Ac cum multiplicis contra deliria sectæ,
Et cœcos scelerum, perfida monstra, Duces,
Non modo Sanctorum tot docta volumina Patrum
Conatu iam extent euigilata pio;
Ast horum quoque qui conuersi & mente recepta,
Informe errorum deseruere chaos:
Martinus præstans Pilsnanæ gloria gentis,
Doctor diuini strenuus eloquii:
Quo Rectore viget felix Academia: lætum
Altius & Musis exerit aucta caput:
Noluit ipse nouum prudens aduersus eosdem
Condere qua potuit dexteritate librum.
Sed quod neglectum non vna æstate latebat,
In lucem è tenebris protulit istud opus.
Oblato quare feliciter vtere Lector
Munere: Romanam semper amando fidem.
Et perpende, Dei quid sponsa Ecclesia tantum
A turbulentis perferat hæreticis.
Cerne dolos horum, fallendi prouidus artes,
Queîs hominum vexant mollia corda, vide.
Conuictis tandem rumpantur vt ilia: contrà
Tu peragas lætos victor vbique dies.

In obstinatum hæreticum.

Qui lumen renuit manifestum cernere veri:
Exemplo monitus nec sapit alterius:
Dignus is est oculos amittere: cerite cera
Dignus: at indignus regna videre Poli.

PRO-

PROFESSIO CATHOLICA M. SEBASTIANI FLASCHII MANSFELDENSIS, NON VULGARIS ERUDITIONIS ET AUTHORITATIS VIRI:

Vbi Lutheranam Hæresin, in qua & natus & à pueris institutus fuerat, liberè abiurat, simulq; abiurationis suæ causas adducens, fucatam illius sectæ naturam, & dolos, quibus miseros deludit mortales, breuiter, & accuratè depingit.

BRIXINÆ,
Donatus Fetius excudebat.
M. D. LXX VIII.

REVERENDISS. ET ILLVSTRISS.

D. D. IO. THOMAE EPISCOPO

BRIXINENSI, ET SACRI IMPERII

Principi amplissimo.

Domino suo cle.

M. Sebastianus Flasch Mansfeldensis
humillimus seruus.

ACcipe Catholici Princeps assertor honoris,
Rhetorum splendens gentis in orbe iubar.
Lærneam sic varijs cernes serpentibus Hydram,
Quam prius Hæreticum me coluisse pudet.
Nunc hostis tandem Hæreseos, pietatis auitæ
Defensor, veneror relligionè Patres.

AD LECTOREM.

VT pateat multis, vana commenta Lutheri
Quàm variis scateant, lector amice, dolis.
Donatus multa præstans Chalcographus arte,
Pluribus exemplis hæc tibi scripta dedit.

RATI-

RATIONES M. SEBASTIANI FLASCHII MANSFELDENSIS,

Cur relicto Lutheranismo, ad Catholicam Romanam Ecclesiam se receperit.

SI qui ſunt, qui cauſam ſcire volunt, quare ego M. Sebaſtianus Flaſch Mansfeldenſis pertæſus Lutheraniſmi, in quo natus & educatus ſum, & quem publicè & priuatim, tum in ſcholis, tum in templis propagare, & confirmare ſtudui, nunc demum ſenex, & affecta propemodum ætate, ad Eccleſiæ Catholicæ gremium me contulerim: hi nō grauatim legere dignentur ſequentes rationes, quas obiter & raptim collegi, nullam aliam ob cauſam, quàm vt me apud quoſdam maleuolos ſiniſtra ſuſpicione ambitionis, cupiditatis, vel alicuius emolumenti corporalis, liberarem. Quibus rationibus vtinam acquieſcerent, & ad conuerſionem inuitarentur illi quoque, qui mecū ſub eodē iugo captiuitatis Babylonicę multis iam annis miſeram ſeruitutem ſeruierunt.

I. Quòd ſatis ſuperq; & quidem non ſine admiratione deprehenderim, ex mutua vtriuſq; collatione partis, lectione priuata, & Catholicorum publicis concionibus, Catholicos longè aliter ſen-

tire, & docere, quàm à Lutheranis arguuntur, quòdq; doctrinã Ecclesię Catholicę apertis mendacijs deformare, & in odium ac contemptũ adducere de industria, & quidem contra conscientiam studeant & laborent. Sic enim habet Augustana Confessio, Catholicos docere, non concedendum esse, quòd gratis propter Christum remissio peccatorũ detur. Item Apologia Augustanę Confessionis asserit, Catholicos vbiq; excluso Christo docere, mereri iustificationem per opera legis. Rursus, Catholicos Mariam Christo æquare, & id genus alia infinita, quæ longum foret hîc ordine enumerare. Et profectò Lutherus ipse, eo loco haberi vult, vt si vel semel mentiri manifestè deprehendatur, tanquam infamis nebulo habeatur, qui nihil fidei mereatur in vllo scripto. Quare nemo mihi vitio vertere potest, quòd studio & amore veritatis, repudiato Lutheri Euangelio & scriptis, in quibus innumerabilia penè deprehendas mendacia, me ad Christi Euangelium, & Catholicæ Ecclesiæ gremium receperim.

Vide Dietenberg. in confuta. Luthe. de votis et confess. vbi conuincit & arguit eũ 874. mendaciorum. In lib. contra Emserum.

II. Quòd deinde ex libris Lutheri manifestè cognouerim, ipsum inuidia potiùs, quàm pio zelo ad scribendum incitatum: & ad euertendam Catholicam religionem, suas tetras & nouas opiniones propagare & stabilire voluisse.

De captiuitate Babylo. & lib. contra Papatũ.

III. Quòd etiam in eiusdem scriptis & Tomis tantam

tantam inuenerim verborũ turpitudinem, & ſcurrilem obſcœnitatem, vt etiam lenones ipſos, & omnem ſcortorũ impudentiam facilè vincat, quibus cùm plurimas paginas conſpurcatas habeat, non difficile eſſet exempla afferre, niſi pias & religioſas aures offendere vererer.

Lib cõtra Pap. & Ioã. Farcim. Item in ſermo. conuiualibus.

IIII. Quòd inſuper certò compererim, Lutheranos non modò integros libros (alioquin ab Eccleſia approbatos) tanquam apocrypha ſcripta, ex ſacræ ſcripturæ catalogo reijcere: ſed etiã libros, quos retinent, paſsim in infinitis locis de induſtria corrupiſſe ac deprauaſſe, ad nouam ſuam vanam doctrinam meliùs confirmandam. Quod ſi adulterare monetam, vel Regias literas capitale cenſetur, quanto magis ſcelus capitale exiſtimandũ eſt, ſcripta Prophetica & Apoſtolica mutilare, peruertere, & falſa interpretatione contaminare? Quemadmodũ Lutherus plerunq; facere conſueuit, qui conciliandæ ſibi maioris authoritatis gratia, omnes alios, quantumuis pios interpretes ab ipſo diſcrepantes, ex alto deſpicit & cõtemnit, nec quicquam valere ſinit, quàm quod ipſe dixit.

In præfatio. Bibliæ Lutheri. Vide Emſerũ. Vice. Dieten. Staphil. Lindanum.

V. Quòd item perſpexerim, eos paſsim in interpretatione ſcripturæ ludere & comminiſci, addere & demere, quicquid libet, modò fuco aliquo velari poſsit ad ſimplicibus imponendum. Sed de ſuis corruptelis conuicti, ſic à Magiſtro ſuo Luthe-

Ad quendam amicum Tom. 4. germ. Vitenbe. folio 475.

 rore-

ro respondere docentur, Doctor Martinus Lutherus vult sic habere: & dicit, Papistam & Asinum esse rem vnam: Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas: Nolumus enim Papistarũ scholares aut discipuli esse, sed magistri ac iudices. Quis autem in hac causa non mallet audire & sequi versionem & interpretationem ab Ecclesia approbatam? vel item vocem Christi, & Apostolorũ, quàm periuri & perfidi Monachi impudentem temeritatem?

VI. Quòd simul eò peruenerim in inquisitione veritatis, vt quę antea consentanea esse scripturę & Patribus credidi, ea nunc cum ipsis ex diametro pugnare, & longissimè discrepare notauerim.

VII. Quòd postea etiam deprehenderim, eos non solùm sacram scripturam, sed etiam sanctorũ Patrum testimonia & scripta partim adulterare, partim ad stabilienda propria commenta vanè & sinistrè interpretari, & detorquere. Quodq; per Dei gratiam nunc tandem intellexerim, quàm mirabili & artificiosa fallacia hominum mentes perstringant in scripturis sacris mirificè extollendis, & citandis Patribus & Concilijs, cùm tamen non alio loco reuera sanctos Patres & Concilia habeant, quàm quo loco Alcoranum Mahometi, & Æsopi fabulas, & pluris in veritate axiomata sua faciant, quàm ipsam scripturam sacram. Nam quod ad Patres attinet, si authoritate eorum vrgeantur,

vel impu-

vel impudenter reijciunt, vel si deprauare vel alio loco torquere non possunt, se eos recipere asserunt, sed quatenus cū scriptura consentiunt. Quasi non eatenus etiam Alcoranum, & Æsopi fabulas recipiant. Quomodo verò ad scripturam eos examinent, inde notum est, quòd non scripturam ipsam, sed sua dogmata, siue propria axiomata scripturæ regulam faciant. Nam si quod Concilium dicat esse Purgatorium, aut Missam esse sacrificium, statim reijcitur, non quia hoc vlla scriptura neget, sed quia eorum dogmatibus aduersatur. Ita Epistola S. Iacobi ad dogma Lutheri, Sola fides iustificat, est examinata; & quia dogma Lutheri euertebat, pro straminea est reiecta. Sic secundus Machabęorum ad alterum dogma examinatus est, Non offerendum vel sacrificandum pro mortuis: Et quia non quadrabat, in apocryphos reiectus est. Quis igitur credat, eos summam authoritatem (vt videri volunt) scripturæ tribuere, cùm nō solùm Patres & Concilia, sed etiam ipsam Scripturam ad regulam suorū axiomatum examinent, explodant & reijciant?

VIII. Quòd ex scriptis S. Patrum didicerim, doctrinā Lutheri nihil ferè aliud esse, quàm quoddam chaos, & veluti farraginem quandam ex obsoletis hæresibus, & erroribus antiquorum hæreticorum collectam, quos iamdudum Concilia legitima

Vide Sanderum lib. 8. de Monarchia visibili cap. 57. Lindanum de Tabul.

gitima & S. Patres viuo Dei verbo magno consensu reiecerunt, refutârunt, anathematizârunt, & ex Ecclesia profligârunt.

Vide Fabium de antilogiis Luth. Item Septicipitem Cochlei. Contra Regem Angliæ aduersus falso dictum statum Ecclesi.

IX. Quòd etiam animaduerterim Lutherum in multis locis à seipso longissimè dissentire, & crebro pugnantia dicere, atq; adeò semetipsum proprio iudicio damnare & mendacem reddere.

X. Quòd cùm ipse Lutherus iactet, se certissimum esse, quòd doctrina sua non sit sua, sed Christi, omnibusq; deneget salutem, quicunq; eam nõ recipiunt, tamen obseruauerim, eum subinde de doctrina sua dubitare, imò asserere, se credere nõ posse, vera esse, quę tradidit & scripsit in libris suis. Nec mirum, cùm alibi fateatur, se ne Christo quidem credere posse, & eius verbis firmiter cõfidere, quippe qui affirmet se plus fiduciæ collocare in sua Catharina & Philippo, quã in Christo.

In 1. ad Timoth cap. 2. Tom. 1. Germ. Vitenb. et super psalm. 43. Tom. 3. in serm. conuiua. titulo de Prophetis & Patriarchis. Item titulo de operib. Dei, & titulo de Christo, & de sola fide.

XI. Quòd ad hęc solidis argumentis conuictus sim, vt affirmare audeam & debeam, gregem Lutheranorum esse populum sine vera Dei Ecclesia, sine Sacrificio, Absolutione, Sacramento Altaris, veris Sacerdotibus & ministris. Ex quorum numero aliquot annis (proh dolor) me vnum quoq; fuisse fateor, & ex animo doleo, qui neq; ritè, neq; legitimè, seu modo Ecclesiastico vocatus, ministerium verbi & Sacramentorum apud miseram plebem administraui.

Nec pa-

XII. Nec parum inuitatus ſum & hac ratione, quòd Lutherani conſcii ſibi de defectu veritatis, & errore, ſententiam quandoq; ſuam munire cõtendunt Patrum authoritate & teſtimoniis, quibus vt videantur conſentanea & veriſimilia tradere, multa & varia ipſorũ dicta inſidiosè & perperam pro ſe citant, ſuasq; hæreſes illis affingũt: quin & apertè de illis mentiri nõ verentur. Atq; vt exempli gratia vnum atq; alterum afferam, Apologia Auguſtana affingit S. Auguſtino, quòd ſcripſerit, peccatum in baptiſmo remitti, non vt non ſit, ſed non imputetur: quod nuſquam ſcripſit S. Auguſtinus, ſed contrarium aſſeruit quàm plurimis in locis. Similiter Proteſtantes aduerſus Concilium Tridentinum anno 62. aſſerunt S. Ambroſium negare per iuſtos nos ire poſſe ad Deum, cùm tamen dicat, per iſtos (intelligens Paganorum Deos) nõ poſſe iri ad Deum: ſic vocem, Iſtos, de induſtria & fraudulenter corrumpentes & mutantes in Iuſtos. Sic etiam eadem Apologia Auguſtana apertè de S. Patribus mentiri non erubeſcit, affirmans, veteres ſcriptores ante Gregorium nullam feciſſe Sanctorũ inuocationis mentionem. Cùm tamen Diuus Athanaſius, Gregorius Niſſenus, Ephrem, Theodoretus, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, Origenes, & multi alij, qui ante Gregorium extiterunt, non tantùm

 eius men-

eius mentionem fecerint, ſed etiam inuocationē & verbo & exemplo docuerint. Ne quis igitur talibus eorum impoſturis decipiatur, Patres ipſos inſpiciat, & locorum ab ipſis citatorum verba & circumſtantias ſedulò expendat: facilè enim fallitur, qui temerè credit talibus impoſtoribus.

Vide Elenchum hæreti. authore Gabriele Prateolo.

XIII. Me item ingenuè comperiſſe fateor, cōcionatores Lutheranos in multis articulis Turcis & Mahometiſtis magis patrocinari, quàm Chriſtianis: & ipſorum mores & ritus propemodum per Cacozelian imitari & repræſentare.

XIIII. Quòd ſuper hæc omnia longa experientia notauerim, quales fructus ipſorum fides & religio produxerit, tales videlicet, vt quiſq; quodlibet, ſibi licere putet. Quæ quidem libertas carnis (quam tamen ipſi Chriſtianam appellant) hoc efficit, vt in reprobum ſenſum tradantur, & vt inter eos omnis generis ſcelera vbiq; locorum ſumma licentia & impunitate graſſentur.

Vide Tabulam Staphili de concordia fratrum Euangelicorū. Concio 3. habita 1546. Tomo 4 fol. 597. pagina 2.

XV. Quòd intellexerim quoq; omnes pene ſectas, quotquot hac noſtra ætate graſſantur, non aliunde, niſi ex eiuſdem Lutheri libris & doctrina, tanquam ex ſcaturigine promanaſſe & propagatas eſſe.

XVI. Quòd etiam inuenerim in eius operibus multas acerbiſsimas criminationes & conuitia, quibus omnes ſuos aduerſarios proſcindere

& inſe-

& insectari, sibiq; soli omnem laudem vendicare, & tribuere solet. Et non solũ non parcit prælatis & Theologis: sed nec quidem Romano Pontifici, Episcopis, Academijs, atq; adeò ipsi Cæsareę Maiestati, Regibus, Principibus, & alijs Imperij ordinibus, imò etiam beatis ipsis cum Christo regnantibus, vt sese verum eius præcursorem esse demonstret, de quo nouissimis temporibus venturo iam olim Daniel Propheta, & S. Ioannes in Apocalypsi vaticinati sunt, Quòd futurus esset rex impudens facie, qui cor suum magnificabit, cuiq; dabitur os loquens magna & blasphemias contra Deum, tabernaculum eius, & eos qui in cœlo habitant.

XVII. Quòd ex ipsiusmet scriptis & Tomis perspexerim, non solùm Ecclesiasticas personas, videlicet Pontificem & Episcopos, ac Academias celeberrimas, sed etiam Imperij status & ordines, Lutheranam religionem & fidem, vt summam impietatem & hæresin manifestam, in ipso exortu reprehensam, damnasse & proscripsisse.

XVIII. Nec parum & illud me mouisse fateor, quòd Lutherani concionatores vsq; adeò oculati sint in peccata, & leuissimos næuos Catholicorum, vt eos non solùm diligenter obseruare, & notare consueuerint, sed etiam eosdem pro concione vsq; adeò exaggerare, vt ex musca Ele-

phantem facientes, vniuersum illorum ministerium, & doctrinam suspectam & odiosam reddant. Cùm tamen è diuerso, si ex vita & moribus fides & religio iudicanda est, nusquam minus, quàm apud illos veram doctrinam sonare iudicandum sit, quippe qui multis modis Catholicorum flagitia in tam breui sui noui Euangelii cursu superasse videantur. Nam vt de sola libidine dicam, cùm ipsi Concionatores vxores ducant, adeò illis non contenti sunt, vt ad explendam insatiabilem suam libidinem frequenter iuxta Lutheri doctrinam etiam ancillis abuti, & (quod magis fœdum est) aliorum vxoribus vim afferre, commutationemq; vxorum inter se mutuo instituere non erubescant. Quod tam apertè de ipsis affirmare & scribere non auderem, nisi tamdiu inter eos versatus id certò & crebrò cum multis aliis comperissem. Taceo quid tentent frequenter inter audiendum confessiones, quorsum tam sæpe ægritudines simulent, infirmos visitent, conuiuia quædam instituant. Hoc vnicum libet referre, de quodam non infimę sortis concionatore, qui mecum pacisci contendebat de commutandis inter nos vxoribus: & ad id faciendum quodammodo me vi cogere volebat, cùm videret me nulla ratione in tantum scelus velle acquiescere. Plura id genus præclara facinora

nora pudor prohibet longius commemorare.

XIX. Non etiam ſine falſitatis opinione paucis ab hinc annis videre potui, Lutheranorum religionem ſenſim collabi & inteſtinis diſſenſionibus in perniciem & interitum adduci: concionatores & Academiarum profeſſores in mutua odia religionis cauſa exardeſcere, adeò vt nec ſuperintendens ſuperintendentem, nec miniſter miniſtrum, nec æditüum ferat æditüus: dominari palàm fœdas partium criminationes, aperta conuitia, & execranda anathematum fulmina: in conſtituenda religione cuiq; quod libet, licere: nullum eſſe diſputationis ordinem, nullam dirimendarum controuerſiarum certam & conſtantem regulam, nullum veritatis & fidei tutum aſylum. Qua ex re grauiſsimæ exiſtant neceſſe eſt & deplorandæ calamitates, & extremæ afflictarum conſcientiarum deſperationes.

XX. Hìc etiam de barbarica illa ignorantia dicendum eſt, quę paulatim inter eoſdem Lutheranos ita creuit, vt vix maius incrementum ſumere poſſe videatur. Poſtquam enim anteſignani illorum, qui à Catholicis inſtituti, doctrina maiori præſtabant, mortui ſunt, nullus penè amplius reſtat, de verè ſolideq; doctis viris, qui cauſam religionis Lutheranæ paulò accuratiùs agere, vel propugnare poſsit. Nam ſi qui ſunt, qui

ſibi aliquam eruditionem tribuunt, illi tamen ridiculè ineptiunt,& rhetoricantur in ſuis ſcriptis, & concionibus, vt vix operæpretium ſit, eas legere vel audire. Nec tamen aliud quicquam tractant, quàm vetera ſuorum præceptorum mendacia, quę iam pridem à tot ſcriptoribus Catholicis ſunt confutata. Vnde fit vt in tanta penuria literatorum, ad adminiſtrationem verbi Dei & Sacramentorum ſeſe ingerant leuiſsimi homines, perfidi Monachi, Sartores, Sutores, Cerdones, Lictores, Carnifices, & ſimiles, vt dignum ſit patella operculum, & ſimiles habeant labra lactucas: licet nihilominus iactitent, & glorientur, ſe non quoſuis, ſed tantùm perſpectæ probitatis & eruditionis viros ad tractandum miniſterium admittere. Contra verò maximus eſt virorum Catholicorum numerus, qui excellunt omni doctrinarum genere, ſicut eorum libri, quos ſingulis annis edunt, teſtantur.

XXI. Quod etiam meminerim, quampluri-mos ad tantam deſperationem venire, vt in tanta fidei ſuæ certitudine & fiducia, vitam ſibi ipſis non dubitent vel laqueo, vel alio ſuplicii genere extorquere: cuius rei apud eos frequentiſsima paſsim extant exempla, quæ quidem vanitatem doctrinæ Lutheranæ in erigendis perterrefactis conſcientiis (vt ipſi loquuntur) non obſcurè oſtendunt.

ſtendunt. Sed talium deſperationum nulla iam me tenet admiratio, quandoquidem & extra Eccleſiam ſunt, in qua ſola vera conſolatio inuenitur, & veris miniſtris Sacramentorum, veraq; abſolutione peccatorum deſtituuntur. Quare mihi non fit veriſimile, aliquem ex Catholicis ſanæ mentis, vlla ratione flecti, aut perſuaderi in poſterum poſſe, vt à fide ſua deficiat ad Lutheraniſmi impietatem, in quo vix aliud præter meram confuſionem omnium rerum, & conſcientiarum trepidationem, vel puer ſeptimum annum egreſſus, animaduertere & agnoſcere queat. Quæ quidem res etiam ipſos Lutheranos Concionatores miris modis angit & confundit, ita vt ferè nihil minus verum eſſe ſtatuant, quàm ſuam religionem & doctrinam. Ideoq; ſimul eam paulatim magis magisq; ipſimet faſtidire incipiunt, vt qui nouerint, eam verè paradoxon eſſe conflatum ex longe diuerſis, & non cohęrentibus membris, ſine verbo DEI, & contra doctrinam Chriſti, Prophetarum, & Apoſtolorum; eiusq; promulgationem iuſto Dei iudicio permiſſam eſſe, propter ſcelera & ingratitudinem mundi: nec tamen idem dogma perpetuò manſurum, ſed breui funditus interiturum eſſe non ſolùm ſuſpicantur, ſed etiam quodammodo certò ſciunt, & paulò poſt, perinde vt illorum maiores & anteceſſores hæretici, re

tici, re ipſa experientur. Maxima etiam pars præſertim vociferatorum & ſcriptorum, qui inter eos ſunt, iam pridem religionem propriam vnà cum ipſa Auguſtana Confeſsione negligere, & deſerere pergunt, cum videant ſe eam amplius defendere & tueri non poſſe: ſicut apparet ex illis abſurdis puerilibus, & ridiculis ſcriptis, quibus ad libros Catholicorum tam ineptè & frigidè reſpondent. Vnde facile eſt coniicere, nihil præter fæces & rudera amplius apud ipſos reſtare, & omnia ruinam vndiq; minari.

XXII. Quòd poſtremò re tota bene conſiderata animaduerterim, me in Lutheranorum cœtu permanere, & eorum doctrinæ acquieſcere non poſſe, niſi velim per ſummam impietatem ſimul damnare omnes pios maiores noſtros, & tot ſanctos Eccleſiæ Catholicæ doctores, qui ante Lutherum extiterunt. Certò enim didici eos cum Romana Eccleſia, doctrina & fide communicaſſe, & Romanum Pontificem pro Chriſti Vicario & S. Petri in Paſtorali munere ſucceſſore agnouiſſe. Certum enim habeo (vt de aliis articulis taceam) eos Sanctorum inuocationem, Reliquiarum venerationem, & Miſſæ ſacrificium approbaſſe. Certum eſt denique, eos in ea doctrina tuenda, & in Romanæ Eccleſiæ communione conſtantes, vſque ad extremum vitæ ſpiritum per-

tum per-

tum permanſiſſe. Lutherani autem Romanam Eccleſiam pro meretrice Babylonica, Romanum Pontificem pro Antichriſto habendum contendunt: Sanctorum inuocationem, & Reliquiarum venerationem, ac Miſſæ ſacrificium, tanquam ſummam Idololatriã execrantur. Vel itaq; profiteri oportet, omnes maiores noſtros, & Eccleſiæ doctores, ac paſtores hæreticos fuiſſe, atque ad extremum damnatos eſſe, neq; quenquam vitam æternam conſequuturum, niſi qui partes Lutheri ſequutus fuerit. Vel ſi maiores noſtri ſalui facti ſunt, conſequens eſt Lutheranos ſaluos fieri, niſi reſipiſcant, non poſſe. Nam ſine fide, eademq; vera, vna, & Catholica, impoſsibile eſt placere Deo; & conſenſu omnium, extra Eccleſiam non eſt ſalus. Eccleſiam intellige, quæ vera eſt, quæ vna, quæ à Chriſto ita ſupra petram ædificata eſt, vt portæ inferi non ſint aduerſus eam præualituræ, quæ perpetuò eſt duratura. Quod quomodo in Eccleſiam Lutheranorum conueniat, non video, cùm ea paucis abhinc annis primùm ſit exorta, & breui, ſicut non obſcurè præ ſe fert, ſit interitura. Quomodo item fides Lutherana vera eſſe poteſt, quæ neque vna eſt in ſe, ſed in tot ſectas diſſecta, neque vna cum maiorum noſtrorum & S. Patrum fide? Neque enim in toto orbe terrarum demonſtrare poſſunt, vel lo-

cum aliquem, vbi eorum fides ante Lutherum prædicata fuerit: aut ſcriptorem vnicum vel authorem, qui idem per omnia cum Luthero, vel Confeſsione Auguſtana ſenſerit & ſcripſerit: licet fatear, in hoc articulo cum illo hæretico, in iſto cum alio, atq; iterũ alio conuenire, vt ſupra dixi.

XXIII. Illud quoq; me maximè permouit à Lutheraniſmo ad Catholiciſmum tranſmeare, quia Lutherani, & qui ipſos ſequuntur omnes hæretici, quod genus animantis ſint, ignorare videntur, quod ex ipſorum verbis manifeſtè apparet: Dum antiquorum patrum, & Eccleſię Catholicæ Doctorum expoſitiones ſacræ ſcripturæ reiicere, quoniam homines erant, & omnium Conciliorum ſententiam improbare, quoniam ab hominibus, qui errare poſſunt, cogebantur, improbare non verentur. Ipſis autem metipſis credendum eſſe, atq; aſſentiendum exiſtimant & præcipiunt: immò contra eos, qui credere & aſſentiri nolunt, iraſcuntur, maledicunt, excandeſcunt, & furore corripiuntur. Iſta ſeriò mecũ expendens, tandem conſideraui, ipſos nullatenus inter ſe conuenire. Negant enim cuipiam hominum, in rebus ſalutis eſſe credendum, deinde paſſim immò ſemper ſibi credendum eſſe contendunt: conſequens itaq; eſt ſatis euidens, eos non eſſe homines. Sed num vituli ſunt, vel aſini, aut

ſues, vel

ſues, vel quid ſimile, negabunt & deteſtabuntur: an fortè angeli, pro modeſtia ſi quam habent, non admittent: at dæmones, nec iſtud concedent. Ergo in nullo genere creaturarum annumerari poſſunt: niſi fortè ſe dęmones incarnatos fateantur. Quoniam proprietates dæmonum, & carnis, manifeſtè ex effectibus præ ſe ferũt: ideò non licebat mihi cum eiuſmodi monſtris commertium periculoſiſsimum ampliùs habere, verùm ad Deum, qui homo factus, quantocyus commeare. Et ſanctis Patribus, quantumuis homines fuerint, ſed per Chriſtum, Doctore gentium Epheſiis atteſtante, dati Eccleſiæ, quidam ipſorum Apoſtoli, quidam Prophetæ, alii verò Euangeliſtæ, alii autem Paſtores & Doctores ad conſumationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes, in vnitatem fidei & agnitionis Filii DEI, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, tutiſsimè credere. Et Conciliis, in quibus à Patribus decernitur, quod viſum eſt Spiritui ſancto, firmiſsimè aſſentiri.

XXIIII. Quoniam Lutherus futura prædicere & veris Prophetis annumerari voluit, nihil minus verò effecit, hoc quoq; me ab ipſo ſecedere compulit, & ne adhęrerem falſis prophetis perſuaſit. Prophetiarum ipſius nonne iſta falſiſsima

In libello de reformatione. eſt. Intra paucos annos, inquit, nullum templũ, Collegium, ſacellum aut monaſterium, nullus presbyter, monachus aut monialis, nullus item Epiſcopus aut Princeps ſub cœlo permanere debeat. Cùm eadem omnia propemodum infinita vbique terrarum integra & ſalua permaneant, & in nouo orbe, in annos & dies ſemper, Deo authore, ſanctorum Patrum & Paſtorum miniſterio ſalutari multiplicentur, & vſque ad conſummationem ſanctorum, omni dubio procul augebuntur: pſeudoprophetę vaticinio mendaci, potentiæ Diuinæ, neutiquam obſtante.

XXV. Quia conſcientiam meam illa doctrina D. & Magni Baſilii, in quam, non puto caſu, ſed credo Deo inſpirante, incideram, ita perterruerat, vt amplius cunctandi ſpatium, hæreticorum ſectatoribus familiare, à Lutheraniſmo ad Catholiciſmum tranſmigrandi, ſpe ſalutis in me excitata, permitteret. Doctrinæ ſatis efficaciter in me operatæ, contextus eſt eiuſmodi. Sicut enim ſanctum atq; admirabilem Paulum, dum adhuc eſſet in corpore, alia quidem præceſſerunt opera: cùm plurimi ex his, qui propter doctrinam & conuerſationem eius perfecti euasêre, in æternam illum vitam præcedentes, ſudorum prę-mia, quos pro illis pertulit, apud iuſtum iudicem Deum illi parauerunt: alia verò ſolutum carneis

In libello de virginitate.

vinculis

vinculis, & iam cum Christo regnantem vsq; ad hanc diem consequuntur, eorum scilicet qui per eum in sacris Epistolarum eius monitis se ad virtutem exercentes, laudes semper ac præmia præclaro illi duci & præceptori optimo hinc transmittunt. Sic econtrà alia quidem pręcedunt peccata eorum, qui pessimis sermonibus & operibus læsi, atq; impediti à virtutis tramite, in infernum pręcessêre, supplicia suę damnationis authoribus illic paraturi: alia verò etiam sequuntur, eorum scilicet qui post ipsorum mortem, per summam nequitiam & exempla pessima, quæ mundo reliquêre, dum eos imitari pergunt, maximè læduntur. Nam sicut hodie quoq; beatus Dauid ad veram religionem & Dei cultum prouidentiæq; agnitionē mūdo perutilis est, & qui ꝓpter illū in religione proficiunt, huic iam ex rectè factis suis cōsequentes ei transmittūt laudū voces. Ita & Marcion, & reliqui hęreticorū dogmatū duces, quia per eam peruersitatem doctrinæ, quam mundo inuexêre, maximè nocent: cuncti, qui salutis suę damna per eos in hac vita perceperunt, authores perditionis suæ, & si dudum vita functos, atrocioribus illic suppliciis tradunt. Si enim qui scandalizauerit vnum ex pusillis huiusmodi, morte dignus iudicatur: profectò qui tam multos per vitam reprobam, quòd perniciosorum

 operum

operum mundo exempla reliquerit, aut in animarum perniciem falsa dogmata ingesserit, scandalizat: post mortem quoque omnium, qui sua causa pereunt, dignißimè ac iustißimè mortis reus habebitur: per singulos eorum qui sui causa hic seu vulnerantur, seu moriuntur, authore etiam vulnera mortemq; suscipiente. Hoc totum si Marcioni hæretico, nedum damnationem æternam, sed pœnarum auctionem, donec errores & blasphemiæ eius, in ipsius Marcionistis vigent & perdurant, efficiunt, quid aliud de Luthero & Lutheranis, timoratæ conscientiæ meæ sentiendum erat, animoq; de salute & vita æterna solicito, censere, existimare, & definire conueniebat, quàm ne tantò periculo & damno sempiterno, sciens, volensq; cum Luthero & Lutheranis sustinendo, nunc & olim succumberem?

XXVI. Nec minus me ad Catholicismum amplectendum permouit illa sententia sancti Athanasii, Archiepiscopi Alexandrini. Nam quãuis, inquit, magistri inuicem apud nos sibi succedant, nosq; illorum discipuli ab illis acceperimus, quæ sunt Christianæ fidei, nihil tamen inde obstaculi nascitur, quominus ob id & titulo & re, Christiani appellemur. Contra qui hæreticos sequuntur, tametsi mille millies successores habeant, omnes tamen nomen eius, qui primus hæresin adin-

Oratione 2. cõtra Arianos.

resin adinuenit, referunt. Certè è vita exempto Ario, cùm multi ex grege illo, eius vices successionemq; susciperent, tamen omnes, qui eiusdem cum eo sententiæ fuerunt, ex Ario notas suas insigniaq; habentes, Ariani nuncupantur, quod re vera eximium & admirabile argumentum est. Nam qui etiam nũc ex gentilibus, omissa idolorum superstitione, ad Ecclesiam veniunt, non cathechizantium, fideiq; rudimenta tradentium nomina, sed saluatoris in se transferunt, & pro gentilibus Christiani incipiunt appellari. Qui verò ex eodem genere, ad istos abeunt, aut ab Ecclesia ad hæresin transitum faciunt, nomen CHristi derelinquunt, & Arianorum vocabulo induuntur: quasi qui non amplius fidem Christi retineant, sed Arianæ insaniæ gregales habentur. Hæc ille. Quæ dum Lutheranis & reliquis hæreticis sæpius accommodabam, mutato nomine, ad ipsos similem impietatem pertinere animaduerti. Itaque nolui diutius, vel ipsis gentilibus, in negotio verę religionis imprudentior, ne dicam impudentior esse.

XXVII. Quia perterritus eram illa intollerabili blasphemia hæresiarchæ Caluini, quam legi in ipsius Institutione, impressa per Stephanum Robertum, M.D.LIII. sic ore impudenti & stylo temerario prolata. Christum sic nobis coadunatum, Cap. 18. Parag. 2.

adunatum, ſic nos illi viciſsim inſertos eſſe, adeoq́; in vnum corpus cũ ipſo coaluiſſe, vt quicquid ipſius eſt, noſtrum vocare liceat. Hinc ſequitur, vt nobis ſecuri ſpondere audeamus, vitam æternam noſtram eſſe, cuius ipſe eſt hæres: nec regnum cœlorum, quo iam ingreſſus eſt, poſſe magis nobis excidere quàm ipſi: rurſus peccatis noſtris non poſſe nos damnari, quàm diu ipſe non damnatur: cùm ea ſibi imputari voluerit, acſi ſua eſſent. Hæc ille. Sed amice Lector, conſidera mecũ hominis ſtolidi excæcatam præſumptionem, contra ſcripturam & rem manifeſtè factam, ab ipſo deblateratam. Si enim non cõtingit excidiſſe à Chriſto, ipſi coadunatos, curnã Apoſtoli in cœna Chriſto in ſacramento accepto, ab eodem tam fuga, quàm abnegatione ipſius, exciderunt? Neque minor eſt iſta præſumptio mẽdax, peccatores non poſſe damnari, quàm diu ipſe nõ damnatur. Cùm verò Chriſtus nunquam damnabitur propter peccata, quæ non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore ipſius, peccatores ergo nunq̃ etiam damnandos. Quicunq; autẽ vel primis labris ſacram ſcripturam attigit, quonam modo hoc concedere poteſt? Præterea ſi pia & vera iſta aſſertio eius fuit, cur eandem in poſteriori editione eiuſdem Inſtitutionis, per eundem Stephanum Robertum, M. D. LIX. Geneuæ

impreſſæ,

impressæ, sustulit: dum iam sex annis, eadem temeraria, mendaci, blasphema assertione plurimos dementasset, & in ignem æternum destinasset. Veritus itaq; ne talis vel similis præsumptio, tam in Luthero, quàm in Caluino, & sequacibus illorum damnabilis, sathana suggerente, me aliquando irretiret, ad Catholicismum, à præsumptionibus semper liberum, alacriter confugi: ab eodem, donec spiritus vitalis hos rexerit artus, Dei gratia adiuuante non discessurus.

XXVIII. Inconstantiam quoq; & leuitatem Lutheri, & aliorum hæreticorum, iam amplius sustinere non potui, quàm multis seculis ante me sanctus ille Athanasius Archiepiscopus Alexandriæ considerauit, & ita exculpsit. Quotannis in vnum conueniunt hæretici, veluti qui tabulas pactaq; scribant, simulantq; se pro fide scripta conficere, mirè interim & fœdi & ridiculi, cùm scripta eorum, non modo ab aliis, sed etiam ab ipsismet explodantur. Nam si fidere ausi fuissent, prioribus suis scriptis, non secundò scripsissent, neq; illis denuò repudiatis ad tertiam scripturam prosiliissent: prorsus studio habentes, vt rursus ea mutent, vel si pusillum temporis intercesserit, vel occasionem nacti fuerint, pro ipsorum consuetudine insidiandi. Tunc enim cùm insidiis student, maximopere se simulant de fide scribere. Ergo

Contra Arian. orat: 1.

re. Ergo dum perpetuò scribunt, suamet ipsi immutantes, incertã suam fidem, vel potiùs certam infidelitatem dementiamq́; ostendunt: vtq́; Christi perduelliones remanentes, alios in errorem abducant. Cum istis ergo inconstantibus, & fraudulentis geniis ipsorum, & ingeniis fallacibus, num solitò permanere, an eosdem meritò deserere debebam, pio vnicuiq; diiudicandũ relinquo. Simulq́; sancti martyris Ignatii doctrinam, vnicuiq; meo exemplo imitandam propono. Ne errate fratres mei, qui veritatis desertorem, schysmaticumq́; sequitur, in regni DEI hæreditatem is minimè veniet. Quique, quem falsa docentem sequitur, non deserit, ab hocq́; ipse fit apostata, ad gehennam is condemnabitur quoq;. Nam neq; à piis discedendum est, neq; cum impiis permanendum.

Epistola 6.

XXIX. Vt institutum meum salutare, recedendi ab hæresi, & ad Catholicismum accedendi accelerarem, sacræ scripturæ plurima loca, & SS. Patrum gloriosa exempla, De cauendis hæreticis, & nisi cauerimus suppliciis propterea sustinendis, passim annotata me extimularunt. Quorum notitiam, vt in promptu quisq; habeat, eadem prout interim succurrunt, hîc annotabo.

Deut: toto Cap. 13.

Inter alia verò hoc. Prophetas fictores somnio-

rum, &

rum, & inducentes impietatem, etiam ſi fratres fuerint, aut filius tuus vel filia, ſiue vxor quę in ſinu tuo, aut amicus, quem diligis vt animam tuam, non acquieſcas eis : nec audias, neq; parcat illi oculus tuus, vt miſerearis & occultes eum ; ſed ſtatim interficies. Sit primum manus tua ſuper eum, & poſt te omnis populus mittat manum. Lapidibus obrutus necabitur, quia voluit tę abſtrahere à Domino Deo tuo.

Hier: toto Cap. 23.

Inter cætera hoc. Nolite audire verba prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos, viſionem cordis ſui loquuntur, non de orę Domini. Non mittebam prophetas, & ipſi currebant: non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant. Propterea ego tollam vos portans, & derelinquam vos, & ciuitatem quam dedi vobis, & patribus veſtris, à facie mea, & dabo vos in obbrobrium ſempiternum, & in ignonimiam æternam, quæ nunquam obliuione delebitur.

Matth: 7. & 16. atque 26.

Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces : à fructibus eorum cognoſcetis eos. ¶ Cauete à fermento Phariſæorum & Saducęorum, non

rũm, nõ à fermento panum, sed à doctrina Pharisęorũ & Saducęorum. ¶ Videte ne quis vos seducat, multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, & multos seducẽt. Surgẽt pseudochristi & pseudoꝓphetæ, & dabunt signa magna & ꝓdigia, ita vt in errorẽ inducantur etiã electi.

Vas electionis D. *Paulus. Acto*: 20. *apud* E*phesianos.*

Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam DEI, quam acquisiuit sanguine suo. Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Ex vobismetipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant populos post se, propter quod vigilate. ¶ 2. Corin: 11. Nam eiusmodi pseudoapostoli, sicut operarii subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi, non mirum, ipse enim sathanas transfigurat se in angelum lucis: non est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur, veluti ministri iustitiæ, quorum finis est secundum opera ipsorum. ¶ Galat: 4. Licet nos aut angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam euangelizauimus vobis, anathema sit. ¶ Philip. 3. Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium. Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem.

cisionem. ¶ 1. Timoth. 6. Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verborum: ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate priuati sunt, existimantiū quęstum esse pietatem. ¶ 2. Tim. 2. Sermo eorum vt cancer serpit, ex quibus est Hymenæus & Philetus, qui à veritate exciderunt. ¶ Tit. 3. Hæreticum hominem, post vnam & secundam correptionem deuita: sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, proprio iudicio condemnatus.

Dilectus Christi. 1. Ioan: 2.

Filioli, nouissima hora est, & sicut audiuistis, Antichristus venit, & nunc multi Antichristi facti sunt, vnde scimus quia nouissima hora est. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent vtiq; nobiscum. ¶ 1. Ioan: 4. Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt: quoniā multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscitur spiritus Dei: omnis spiritus qui confitetur Iesum Christū in carne venisse, ex Deo

eſt: & omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus, de quo audiuiſtis quoniam venit, & nunc iam in mundo eſt. ¶ 2. Ioan. Qui permanet in doctrina Chriſti, hic Patrem & Filium habet. Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit ei aue, communicat operibus eius malignis.

Princeps Apoſtolorum. 2. Petr: 2.

Fuerunt verò pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt, magiſtri mendaces, qui introducunt ſectas perditionis: & eum qui emit eos, Dominum negant, ſuperinducentes ſibi celerem perditionem. Et multi ſequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur: & in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur: quibus iudicium iam olim non ceſſat, & perditio eorum non dormitat. Sed ſcripturam ſacram Patres iam ſubſequantur.

D. Cypria: Libro 1. Epiſt. 3.

Nulla cum hæreticis commertia copulentur, nulla cum eis conuiuia vel colloquia miſceantur, ſimusq; ab eis tam ſeparati, quàm ſunt illi ab Eccleſia profugi. Quia ſcriptum eſt. Si autem & Eccleſiam contempſerit, ſit tibi tanquam ethnicus &

cus & publicanus. Et beatus Apoſtolus non monet tantum, ſed iubet à talibus vt recedatur. Pręcipimus, inquit, vobis in nomine Domini Ieſu Chriſti, vt recedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinatè, & non ſecundum traditionem, quam acceperunt à nobis. Nulla ſocietas fidei & perfidiæ eſſe poteſt. Qui cum Chriſto non eſt, aduerſarius Chriſti eſt: qui vnitati & paci eius inimicus eſt, nobiſcum non poteſt cohærere. ¶ Idem de ſimplic. prælat. tractat. 3. Quid facit in pectore Chriſtiano luporum feritas, & canum rabies, & venenum lethale ſerpentum, & cruenta ſæuitia beſtiarum? Gratulandũ eſt dum tales de Eccleſia ſeparantur, ne columbas, ne oues Chriſti, ſæua ſua & venenata contagione prædentur. Cohęrere & coniungi non poteſt, amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cum ſerenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate ſterilitas, cum fontibus ſiccitas, cum tranquillitate tempeſtas. Nemo exiſtimet bonos de Eccleſia poſſe diſcedere. Triticũ non rapit ventus, nec arborem ſolida radice fundatam procella ſubuertit: inanes paleæ tempeſtate iactantur, inualidæ arbores turbinis incurſione euertuntur.

Euſ: Pamph: Eccleſiaſt: hiſt: lib 4. cap.. 14.

Sunt qui ex Polycarpo diſcipulo S. Ioannis Euangeliſtæ

uangelistæ audiuerunt: Ioannem discipulum Dñi, cùm Ephesum balneum esset, balneandi gratia, ingressus, inq; illo Cerintum vidisset, mox illotum egressum dixisse. Fugiamus, ne balneum corruat, in quo Cerintus veritatis inimicus lauat. ¶ Ipse quoq; Polycarpus, cùm ei Marcion in conspectũ veniret & diceret. Noscenos. Respondit. Nosco, inquit, nosco primogenitum Sathanæ. Tanta (adiecit Nicephorus) Apostoli & discipuli eorum religione fuerunt, vt ne verba quidem communicarent cum quopiam eorum, qui veritatem adulterant atq; deprauant.

Idem de vita Constantini Imperatoris lib. 3.

Victor Constantinus Maximus Augustus hæreticis. Agnoscite nunc per hanc legis constitutionem, ô Nouatiani, Valentiniani, Marcionistæ, Pauliani, & qui Cataphrygæ vocamini, & quotquot in vniuersum hæreses vestris cœtibus cõstituitis: quantis sit mendaciis vanitas vestra intricata, & quomodo venenatis quibusdam pharmacis doctrina vestra contineatur, ita vt per vos, sani ad infirmitatem, viuentes verò ad perpetuam mortem abducantur. O veritatis inimici, vitę hostes, & perditionis consiliarij. Omnia sunt apud vos veritati contraria, ac turpibus malitiæ studiis & absurdis admodum fabulis consona: per quæ

vos men-

vos mendacia ſtruitis & inſontes perimitis, lucem fidelibus negatis, ſub prætextu diuinitatis ſemper delinquentes: omnia polluitis, innoxias ac puras conſcientias, lethiferis plagis vulneratis, ac ipſam propediem, vt ita dicam, humanis oculis abripitis. Et quid neceſſe eſt ſingula recenſere, cùm de malis veſtris aliquid pro dignitate loqui, neq; modici ſit temporis, neq; negociorum noſtrorum. Sunt enim abſurditates veſtræ, ita prolixè & immodicè, ita, ſi explicentur, omnis generis feritate refertæ, vt ne integer quidem dies ad enarrationem earum ſuffecerit. Et alioqui auditum etiam huiuſmodi declinare, & oculis auertere conuenit, ne ſi cuncta ſingulatim recenſeantur, ſyncerum ac purum fidei noſtræ propoſitum polluatur. Quid igitur? Tolerabimúſne poſthac huiuſmodi mala? At longa expectatio facit, vt etiam ſani, quaſi peſtifero quodam morbo inficiantur. Qua ergo ratione radices, vt ita dicam, huiuſmodi nequitiæ publica animaduerſione, non amputamus? Igitur quoniam impoſsibile eſt, vt amplius perniciei veſtræ exitium feratur, per hanc legem interdicimus, ne qui veſtrum congregari audeant. Quapropter cunctas etiam domos, in quibus conuenitis, è medio tolli præcipimus, cura hac noſtra eo vſq; progrediente, vt non modo non in publico, verùm neque in priuatis ædibus, aut locis quibuſdam ſe-

 paratis,

paratis, superstitiosæ vestræ dementiæ cœtus cõcurrere liceat: sed, quod multò est honestius, quotquot veræ ac puræ religioni studetis, ad Catholicam Ecclesiam accedatis, & sanctitati illius communicetis: per quam & veritatem consequi poteritis. Separetur autem omnino à status nostri felicitate, peruersæ sententiæ vestræ seductio, hoc est, scelesta & perniciosa hęreticorum & schismaticorum sententia. Decet enim felicitatem nostram, qua cum Deo fruimur, vt qui bonis spebus viuunt, ab omnis generis inordinato errore ad rectam viam, à caligine ad lucem, à vanitate ad veritatem, à morte ad salutem ducantur. Vt autem ad hanc curam etiam necessaria potentia accedat, præcipimus, sicut dictum est, vt cuncti superstitionis vestri conuentus, omnium, inq̃, hæreticorum oratoria, si tamen oratoria nominare conuenit, sine omni contradictione auferãtur, & Catholicæ Ecclesię absq; vlla mora tradãtur, & reliqua loca, rebus publicis adiudicẽtur: nec vlla prorsus vobis deinceps cõueniendi facultas relinquatur: ita vt ab hoc præsenti die, nullo loco siue publico siue priuato, infandi vestri cõuentus, congregari præsumantur. Ita D. Imperator Constantinus cauebat sibi & suis à cõuersatione cũ hæreticis. Sed hęc de cauendis hæreticis, ex sacra scriptura & patribus interim sufficiant.

Theodo-

Volebat aliquando lauare Arianus, sed Christifideles vti secum communi balneo noluerunt. Et dũ ex balneis abiit, ipsi hæretica abominatione aquas etiam contactas rati, ipsas quidem in cloacas emisêre, & recentem parari iubent. ¶ Libro 4. cap. 15. Pueris Samosatæ, ludentibus pilà in foro, delectationis gratia, dum Lucius Episcopus Samosatensis Arianus per illud forum iter faceret, accidit vt vni pila elapsa, per asini ipsius pedes volueretur, tum exclamauerunt pueri, contaminatam esse pilam arbitrantes: & igne accenso, traiecerunt per flammam pilam, ita credentes eam lustrari. Vnde facilis coniectura fuerit de odio, quo ciuitas illa Arianam factionem prosecuta fuit.

XXX. Sed neq; minus me ab hæresibus secedere, & Catholicis adhęrere permouit, cuiuspiam bene docti & pii Theologi tabella, mihi ab amico exhibita. Quam cùm inspexi, & diligenter expendi, partim gauisus sum ex iis, quæ in eadem sunt iucunda, partim exhorrui ab istis, quæ continet tristia. Ac eam ipsam, etiam intuendam omnibus, meam resipiscentiam & conuersionem imitaturis, hîc profero.

THEATRVM MVNDI ex verbo Dei & sacræ scripturæ veraci testimonio.

COELVM.

SS. Trinitatis & indiuiduæ vnitatis Diuinæ.	*Iesu Christi Emanuelis & beatorum Angelorum.*	*Christianorum Catholicorum, & resipiscentiũ.*

Est sedes gloriosißima nunc & semper in secula seculorum.

TERRA.

Peregrinatio à cœlesti patria desideratißima.	*Militia contra carnem, diabolum, mũdum laborioßißima.*	*Officina virtutum omnium & viciorum spaciosißima.*

Est intermedium optimæ & peßimæ æternitatis futuræ.

INFERNVS.

Dæmonum & Antichristi semper versuti.	*Hæreticorum & Schismaticorum cum sequacibus ipsorum.*	*Iudæorum, Paganorũ, Apostatarũ impœnitentium.*

Est carcer teterrimus, ignis doloris, fletus stridoris perpetui plenus.

QVI VERE ET SERIO SAPIS.

Primum semper appetas vt fruaris.
Medium poßide ne æterno priueris.
Extremum caueas ne iustè crucieris.

Quod

Quod quidem Theatrum ſi penitius & ſyncerè examinetur, eſt breuiarium totius Euangelii, compendium ex Apoſtolorum epiſtolis, tota Apocalypſis abreuiata, Patrum lucubrationes ſummatim expreſſæ: ſed ex parte iſta, qua hæreſes complectitur, & inferno aſſcribit, erat mihi, prout ſemper erit, formidandum.

XXXI. Quia ritum cœnæ illius ſacratiſſimæ Domini noſtri Ieſu CHriſti per Catholicos celebratum, Lutheranus exiſtens, contemnebam, odio habebam, & perſequebar ideò, quòd contra Chriſti intentionem & inſtitutionem, atq; Apoſtolicam functionem ſub vna tantùm ſpecie corporis, ſubtracta altera ſpecie ſanguinis, multitudini plebis diſpenſatum eſſe conſiderabam. Factus autem Catholicus, ea de re cum Catholicis conferendo, tandem comperi, me Lutheranis vſq; adeò adhęrentem, cum ſalutis meæ diſcrimine, ad placitum ipſorum corruptum, vehementer aberraſſe. De cœna enim Domini Euchariſtica, deinceps comperi, eundem bis habuiſſe ſermonem: alterum ad multitudinẽ magnam, trans mare Gallileæ, inter cætera ſic. Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Alterum verò ſermonem ipſum habuiſſe in extrema illa & paſsioni proxima cœna, non ad *Ioan: 6.*

multitudinem, ſed tantũ ad Apoſtolos duodecem, cum quibus ſedebat, & cœnam illam ſuam deſideratiſsimam manducabat: cuius quidem ſermonis hæc verba fuerunt. Et accepto pane gratias egit & fregit, & dedit eis dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtquam cœnauit dicens: Hic eſt calix nouum teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis fundetur. Dum vtrunq; horum ſermonum Chriſti, cum Catholicis meis confero, hoc primum conſpicio, quia priori, aliud eſſe dictum plebis multitudini, poſteriori verò duodecem Apoſtolis: ſed tamen in eundem finem. Plebis multitudini datus eſt panis viuus, cœleſtis, mannæ patribus datæ neutiquam æquiparandus: primò ad commemorationem paſsionis, deinde ad vitã æternã acquirendã & vti fruendam. Preter ea autem Apoſtolis futuris tandẽ ſacerdotib9, vtrũq; hoc quidẽ collatũ, ſed quod multò maius eſt, ipſis conceſſum verbis illis, Hoc Facite. Quod ſancti patres dono interpretationis ſcripturarum definiuerunt, id eſt, repręſentate paſsionem Chriſti, conſecrate, offerte & ſacrificate. Vnde manifeſtè conſtat, plebem, ſeu ſeculares, bene eſſe contentam debere vna ſpecie cœnæ Domini Euchariſticæ, cùm eidem primo ſermone commemoratio paſsionis Chriſti pro mundi vita perpeſſæ, illaq; vita æterna eadem

Luc: 22.

paſsione

pasione meritoria tribuatur. Sacerdotibꝰ autem Apostolicis vtranq; speciē separatim esse percipiendam ideò, quia sacrificium Iesu Christi repręsentant, in quo sanguis à corpore tūc separatus fuit. Neq; laudabili cōsuetudini hoc obstare potest, quia D. Paulus Corinthiis sub vtraq; specie hoc sacramentū Eucharistiæ seu cœnæ Domini administrabat: quia in illa infantia Ecclesiæ, hoc plerunq; fiebat, quod esse interim vtile potuit, non quod meritò fieri debuit. Huius inter alia exemplum est notisimum, ille baptismus Apostolorum quem conferebant in nomine Iesu, non autem in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, secūdū expressum mandatū Christi. Quod an hoc modo fieri poterat, scio negaturos pusilanimes, sed frustra. Hocq; ideo: quia ab Apostolis prudentisimè factū & institutū illud, quod maximè ad Christū tūc cognoscendū pertinebat, Apostolorum successores, vsq; ad consummationem Sanctorum futuri, si hoc imitantur in cœnę Dn̄i alterius tantùm speciei distributione secularibus, non peccant. Prǫsertim dum nō vnū, sed vtrunq; prǫmissum sermonē Christi, in eadem materia ab ipso factū, cōsiderant. Rationabiliter ergo factū est, ideò plebem seu omnes seculares debere esse cōtentos vna specie, quia ex eadem hoc quod ipsorū est, percipiunt cōmemorationē pasionis Christi, & vitam æternā: quod amplius in eadem cœna fit, ad illos nō pertinet, videlicet

licet consecrare, repræsentare, sacrificare: quoniã non secularium, sed sacerdotũ hoc proprium est. Ex hoc vno meo cum Catholicis pio discursu, plurimùm fui confirmatus ad Catholicismum, & maximè labefactatus ad sequendum Lutheranismum vel quemuis hæreticismum. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.

XXXII. Existens Lutheranus, in persequenda Ecclesia Catholica, illud mihi vnicum delectabile erat, vt signum crucis Papistis, vt tunc dicebam, semper & vbiq; vsitatissimum negligerem, odio haberem atq; per omnem occasionem mihi & meis abominabilem redderem: tanquam characterem aliquem magicum & figmentum hominum superstitiosorum: magis diabolo in necromantia ipsius accepto, quàm Deo, in ceremoniis Ecclesiasticis grato. At cùm ex Tertulliano, Origene, & S S. Cypriano, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Chrisostomo, Hilario, Gregoriis, Athanasio, Cyrillo, virtutes eius, & plurimos eosdemq; admirabiles legi effectus, & mecum seriò expendi, statim hoc ipsum signũ admiratus & exosculatus sum, illudq; mihi impresi. Cùm autem inquirebam & disquerebam vnde nam tanta virtus characteri inesset, Deo dirigente, credendum est, me accepisse inter alios librũ Confessionis Catholicæ, Illustriss. olim Cardinalis Stanislai Hosii Poloni, cap. 10. signi crucis, ex Innocentio

Papa,

Papa, hoc nomine III. in libro 2. de sacri altaris mysterio, iucundissimam designationem eiusmodi. In cru ✠ ce videtur totius fidei nostræ compendium contineri. Tribus enim digitis in vnum coniunctis, significatur SS. Trinitatis & eiusdem vnitatis mysterium. Ducitur verò altera pars seu linea crucis, à vertice capitis, siue frontis, vsq; ad vmbilicum, vt indicetur, ex hac Trinitate & vnitate Diuina, de summo cœlo egressio in viscera matris, & incarnatio illa ineffabilis Filii Dei, vt ex purissimis sanguinibus illius, carnem nostram susciperet. Deinde à sinistro brachio ad dextrum, altera pars seu linea cru ✠ cis continuatur, vt causa eius incarnationis exprimatur. Nam propterea descendit de cœlo in terram, propterea reliquit domum suam, dimisit hæreditatem suam, dedit animam suam in manus inimicorum suorum, vt nos qui eramus à sinistris inter hœdos collocandi, transferet ad dextram inter oues suas, vbi vocem illam desideratam audire nobis liceret: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Talis & tanta meditatio mysterii sanctæ cru ✠ cis, & eiusdem per Catholicos pios ad capita veræ fidei applicatio, non potest nec debet dici simplex character, non magica aut necromantica nota. Et quoniam dæmones credunt & contremiscunt ad hoc symbolum

 fidei,

fidei, quomodo subsistere poterunt, & ipso conspecto nō statim cū suis machinationibus fugere. Ideoq; dæmones & prestigia ipsorum apud Lutheranos & hæreticos habent locum, quia mysterium sanctæ cru✠cis contemnunt, odio habent, & à se excludunt. Ideò quoq; & Catholici simplices, cōtra dæmones & aduersa quæq; sæpe nō præualent: quia figuram ✠ tantū facere solent, sed hoc mysteriū eius, quod in se continet, non meditantur. Ego vt, quod verum est, ingenuè fatear, diabolum mihi diuerso modo persuadentē, & vt in Lutheranismo permanerem variè solicitū, Catholico hoc more, signū crucis mihi imprimendo, insidias & tela nequitię eius, per gratiā Dei, toties & cum profectu corporis & animæ superaui. Agite ergo Lutherani, hæretici omnes sapite, vt sequamini exemplum meū, hac quoq; in re, vt mihi ita & vobis futurum salutiferum. Cauete ne tam in iis, quæ adduxi, amplius hæreatis & diutiùs erretis, quàm in reliquis vestris deliriis, per Antichristū vobis inductis, sitis iusto Christi iudicio in æternum damnabiles.

XXXIII. Ad easdē causas hactenus inductas, hæc quoq; accessit. Quia in legendo breui quidē sed deuoto libello, D. Ephræm Syri, De armatura spirituali, ex eodem, quid post consummationem nostri, & quid in consummatione mundi, nobiscū futurū sit, cognoui, quod ibidē ita expressum legi. Quo animo nos esse oportet in extremo iudicio?

Quale

Quale nos gaudiũ excipiet, cùm ad dexteram Regis ſeparabimur? Quanto exultabimus gaudio, cum amplectentur nos iuſti omnes? Illic nos amplexu ſuo refouebunt, Abraam & Iſaac & Iacob, Moſes, Noë, Iob & Dauid, Prophetæ ſancti & Apoſtoli, & Martyres, omnes deniq; ſancti, qui Deo placuerunt, cùm in carne præter carnem viuerent: atq; ſalutabunt te, exultantes in ſalute tua. Quales nos tunc futuros exiſtimamus, cum dicet Rex his qui erunt ad dexteram, verba illa lętitiæ & ſuauitatis plena. Venite benedicti Patris mei, poſsidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Cogita poſtea etiam perditionem peccatorum, qualis eos confuſio appręhendet, quando ſiſtentur tribunali horrendo, coram iuſtiſsimo iudice, nullam habentes excuſationis viam: cum loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos dicens: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt ſathanæ & angelis eius. Heu qualis ille locus eſt, vbi fletus & ſtridor dentium reſonat, quem ipſe quoq; ſathanas horret? Quam horrenda & terribilis illa vox futura? Si in vnum colligantur omnia tonitrua & fulmina, quæ ab initio mundi hactenus vſque fuerunt, & deinceps ad conſummationẽ eiuſdem mundi futura ſunt, vnumq; ſimul ſonitum faciant, non tam ille horrendus & terribilis fieret, quàm iſte erit. Si euenient iſta peccatoribus, quantò

magis hæreticis, qui fidem nudam, informem, ad iustificandum iactant, opera bona, peccatorũ virus reprimentia, flocci faciũt. Si ergo hic S. pater me sua doctrina hac salutari ad resipiscendũ & heresin deserendam permouit, idem, vt mei tunc similibus efficiat, ex animo pro charitate Christiana eisdem opto & efflagito.

Quare ex huiusmodi omnibus causis, pro ingenij & doctrinæ mediocritate inductis, mihi nulla ratione salutem meam negligendam esse duxi, sed ad antiquæ, veræ Ecclesię castra mihi esse conuolandum: in qua tot sancti, & præclari maiores nostri sanctè & piè vsque in finem militârunt: vbi sunt veri pastores, vbi verum Dei verbum annunciatur, vera Sacramenta administrantur, verus Dei cultus viget, & vera salus expectanda est. Ad veram itaque salutem, salutaremq; veritatem sectandam omnes eodem errore, quo ego fui, fascinatos inuito: Deumq; precor, qui dixit, De tenebris lumen splendescere, vt veritatis suæ luce, eorum mentes illustrare, & ad salutis suæ portum dirigere & perducere sua benignitate dignetur, vt fiat vnũ ouile, & vnus pastor, & seruemus in vna spe vocationis nostræ vnitatem Spiritus in vinculo pacis.

AMEN.